

semper deferre sub poenis in mandato dicti reverendissimi patris contentis. Acta sunt haec anno mense die indictione pontificatu et loco quibus supra hora quasi tertiarum de mane praesentibus venerabili discretisque viris domino Andrea Bodiker in iure canonico licentiate decano, Theoderico Leenbech vicario ecclesiae Mersburgensis, Petro Zehuse rectore scholarium in Lipzk dictae Mersburgensis diocesis testibus ad praemissa vocatis requisitis pariter et rogatis.

Et ego Johannes Leonis publicus imperiali auctoritate notarius etc.

Nach der Handschrift Rep. II. 10^a fol. 31 in der Stadtbibliothek zu Leipzig.

Jo. Buschius de reformatione monaster. I. IV. c. 8. in Leibniz Scriptor. rer. Brunsvic. II. p. 961. Ueber einzelne Vorgänge bei Gelegenheit der Visitation vgl. ebend. p. 827.

No. 238. 1451. 24. Dec.

Probst Burkard und das Capitel wenden gegen das Verfahren der Visitatoren (No. 237) das Rechtsmittel der Appellation an den römischen Stuhl ein.

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo indictione decima quarta die vero XXIII mensis Decembris hora tertiarum vel quasi pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Nicolai divina providentia papae quinti anno eius quinto in loco capitulari canonicorum regularium monasterii sancti Thomae apostoli in Lipzck — nostrumque notariorum publicorum testiumque infrascriptorum praesentia personaliter constituti venerabiles ac religiosi viri domini Burekardus praepositus, Caspar prior, Jacobus senior, Johannes cantor ceterique capitulares monasterii sancti Thomae apostoli — per vocationem nuntii capituli ad hoc deputati capitulariter more solito in loco capitulari congregati, idemque dominus Burekardus praepositus habuit et tenuit in suis manibus quandam cartham papiream tenorem cuiusdam appellationis in se continentem, quam ibidem pro se totoque suo monasterio supradicto animo et intentione appellandi et provocandi exhibuit modo forma atque causa quibus melius fieri potuit et debuit, legit interposuit apostolosque petivit et protestatus fuit ac alia fecit prout in ipsa cedula plenius continetur. Cuius quidem appellationis tenor per omnia sequitur in haec verba et est talis:

Ego Burekardus praepositus canonicorum regularium monasterii sancti Thomae apostoli in Lipzck —, Caspar Ciliaci prior simul cum capitulo nostro hic capitulariter more solito in loco capitulari congregati animo et intentione appellandi et provocandi proponimus coram vobis notariis publicis et testibus hic praesentibus atque dicimus, quod quamvis nobis districtior vita illa qua nunc utimur ratione professionis nostrae secundum veram regulam ordinis nostri inponi non potest nec etiam status monasterii nostri antiquus, in quo regulam sancti Augustini professi sumus, a quoquam potest licite et rationabiliter inmutari, eo attento quod observantiam regularem iuxta regulam primaevae institutionis, ordinis nostri suscepimus et dudum ad nostrum monasterium propter piam et paternalem admonitionem reverendi in Christo patris et domini domini Johannis episcopi Merseburgensis moderni loci ordinarii viros religiosos deum timentes